

7 241



12  
10  
1754, 10

DE DISCESSV  
EX ILLVSTRI QVAE IENAM ORNAT  
MVSARVM SEDE  
VIORVM NOBILISSIMORVM  
NEC NON  
DOCTISSIMORVM  
**CHRISTIANI ZIMMERMANN**  
BREMANI DIVINIORIS SAPIENTIAE CVLTORIS STRENT  
**IOANNIS GOTTLIB VISBECK**  
HANNOVERANI LEGVM SACRARVM SCIENTIA CVLISSIMI  
**IO ANNIS FRIDERICI  
SARNIGHAVSEN**  
LVNEBURGENSIS IVRIVM CVLTORIS ORNATISSIMI  
NOMINE SOCIETATIS  
QVAE DVCTV AVSPICIOQVE  
VIRI CLARISSIMI  
**IO. CHRISTIANI BLASCHE**  
PHIL. MAG. SOCIETAT. TEVTON. ET LAT. IENENS. COLLEGAE  
BONAS ARTES COLIT  
EX ANIMO ILLIS GRATVLATVR  
SIMVLQVE  
DE VSVFRVCTV LEGALI  
EX UXORIS METALLI FODINIS  
AD MARITVM PERTINENTE  
BREVITER DISSERIT  
**IO ANN. ADOLPHVS HELLBACH**  
IVR. PRACT. ET SOCIET. TEVTON. QVAE IENAE FLORET COLLEGA.  
IENAE  
LITTERIS FIGKELSCHERRIANIS. CICICCLIII.

DE DISCESSA  
EX ILLUSTRIATISSIMA ORNATA  
MURARIA SEDIS  
UPOLOM MUNICIPALIA  
DOCTRINAM  
CHRISTIANI SUMMERMANI  
GERMANI DIGNITATIS SCIENTIAE TOTIS STYLIS  
IOMINS GOTLIB VITZEC  
HANNIBALI ESSAM SARTORIUS GALLIUS  
IOAKINII ERIDERICI  
SARINIGAUSSEN  
LUDVIGIUS CLEMENS VITZEC  
MONSIS SOCCHIATIS  
CLAE DACTA VITZEC  
AVIL GALLIUS  
IO. CHRISTIANI PRAEACHE  
EX ANNO MTS. CRATIA ATAR  
DE AUSTRIACO LEGATO  
EX AYXIS METTATI CODINIS  
EX AYXIS METTATI CODINIS  
EX AYXIS METTATI CODINIS  
GAVIN DOULAS HELLAS  
LENAE  
LITTORIS BUNNERGEMINIUS DOPGELETTI



VIRI NOBILISSIMI ATQVE  
DOCTISSIMI  
AMICI HONORATISSIMI

**V**triusque fortunae fundamentum eorum  
hominum, qui ad litterarum scientiae-  
que studia incumbunt, quantum qui-  
dem in ipsis est, in vitae academicae  
genere ponitur. Qui tempus male te-  
runt, et sibi met ipsi semper, et aliis  
etiam ut plurimum nocent. Etenim siue in otio tur-  
pissimo viuunt inertes, nullo honore, nulla bonae  
existimationis parte conspicui; siue ad rem sacram  
administrandam se dant, sacris ipsis nullis iniciati; siue  
ad publicam rem accedunt, omnis rerum gerendarum  
scientiae expertes: et sibi et aliis damna multa infe-  
runt.

A 2

runt. Quibus enim artibus ciuitates praecipue conseruantur, Mureti verbis vtor, pietate aduersus deum, iustitia, fortitudine, in primisque prudentia, earum sunt omnium artium quasi semina litterarum prodita monumentis. Quas quidem artes quum turpiter illi negligant; necesse est, vt nulli rei idonei postmodum ipsi negligantur. Horum contentu atque iniuria dicendo adumbrandis non immoror. Iucundissimo enim animi affectu ad VOS abripior, VIRI NOBILISSIMI mihique AMICISSIMI, quorum vitam in aca- demia nostra actam quum intueor, semina futurae pro- speritatis iacta esse feliciter intelligo atque laetor. Inter alios VESTRAE virtutis testes bene multos et illi sunt vel potissimum numerandi, quibuscum, VIRI CLARISSIMI, BLASCHII ductu atque auspicio ad bonas artes incubuistis, quorum est ingens de VESTRA ingenii bonitate praestantique pruden- tia opinio. Meum nunc est, vt VESTRVM ex hac academia discessum societatis nomine, quam coluistis, bonis omnibus ornam, faustumque esse iubeam. Quod vt more ab eruditis recepto fiat; pauca lubet de vnu- fructu legali ex uxoris metallifodinis ad maritum pertinente, differere. Rogo atque oro, vt quidquid di- gnitatis deerit huic in VOS amoris cultusque testimo- nio, benignitate VESTRA sarciantur.

---

### §. I.

Ius circa res siue ius rerum veritur, partim in facultate, quæ homini in rem tribuitur, sine respectu ad

ad certam personam, partim in facultate, quae personae est in personam, ut haec aliquid dare vel facere cogatur. Ad posterius requiritur vel factum obligatorium, licitum, et illicitum, quo spectant varia conuentionum et delictorum genera; vel obligatio ab ipsa lege suppeditatur, et personae solum inhaeret intuitu rei alicui obligatae. L. 1. D. de obligat. et action. quum ius in re non personae sed rei cohaereat, quam cuiuslibet exclusione eo modo habemus, quo eam sumus adepti.

### §. II.

Quibus praemissis, inter omnes constat, ius in re ex communi doctorum opinione in quinque species, dominium, seruitutem, ius hereditarium, pignus, et possessionem diuidi. Sunt, qui his quinque speciebus adiungunt sextam v. c. ius dotis. FELTMANNVS de iure in re et ad rem c. II. §. 22. et 24. et c. XVIII. At nec desunt, qui quatuor solummodo species iuris in re statuentes possessionem ad ius in re tamquam speciem considerari posse negant. Nolo equidem renouare bellum istud eruditum, quod HAHNIVS, GLAESE RVS, BORNIVS, SVENDENDOERFERVS, HVBERVS, THOMASIVS aliquie gesserunt; in verbis enim sumus faciles, modo in re conueniamus. Interim hoc est certissimum, dominium nullo repugnante speciebus iuris in re adnumerari.

### §. III.

Quum igitur dominium sit iuris in re species, scire iuuabit, a nonnullis in sensu vel strictiori vel la-

A 3

tio-

tiori accipi. Hoc quidem sensu significat omne ius in re. L. 2. C. Vbi in rem act. L. 8. D. de rebus auctorit. iud. poss. L. 70. s. vlt. D. de V.S. L. 48. D. de hered. instituend. Priori autem opponitur reliquis speciebus iuris in re. Postremum ut retineamus, instituti ratio iam postulat, et in hac significatione dominio ius denegandum haud est, rem ad se spectantem vindicandi, et quemlibet ab illius vsu excludendi. Quae quum ita sint, dominium iure meritoque despescitur in plenum et minus plenum, naturale et ciuale, reuocabile et irreuocabile. (per princip. iur.) Qui pleno praeditus est dominio, cui neque lex neque pactum, neque voluntas testatoris, aut natura impedimento est, perfecta gaudet potestate, rem propriam cum facultate utendi fruendii vel retinendi, vel ita, ut eius res maneat ipsa, usum fructumque alteri concedendi. Quapropter potestatem doctores et leges in plenam, quum quis proprietatem et usumfructum habet; et minus plenam, quum quis nudam proprietatem, alter vero usumfructum habet, diuidere solent. s. vlt. Inst. de usumfruct. L. 17. D. quibus modis usumfr. amitt.

#### §. IV.

Leges autem ipsas hactenus dictis consentaneas esse, inde cognoscere licebit, quando usumfructum legalem marito intuitu acceptae a coniuge dotis intuemur. Hac enim constituta, marito, quo eo melius ferre queat matrimonii onera, dominium tribuitur ciuale, quum coniux legitima, durante matrimonio, saltim polleat naturali. L. 30. C. de iur. dot. Itaque maritus est dotis uxoris suae dominus ciuilis, eiusque fructus omnium bono-

bonorum, quae dotis causa accepit, est. Ad onera matrimonii marito ferenda quodammodo mitiganda vsusfructus totius dotis, quos ille capit, esse constitutos, manifestissimi iuris est. L. 20. C. de iur. dot. Sequitur igitur, ut maritus partibus metallicis sive κυκνοις ab vxore dotis nomine acceptis, vti frui possit. In quo autem vsusfructus hoc casu versetur, id hucusque interpretum industriam haud leuiter exercuit. Ego quidem partium metallicarum prouentus, vulgo Ausbeute et minime vsuras prouentuum ad maritum vt dotis vxoris vsufructuarium, legalem pertinere, arbitror.

## §. V.

Vsusfructus ius est alienis rebus vtendi fruendi salua rerum substantia. L. I. D. de vsufr. Ad eum igitur, qui vsusfructum alicuius rei, vel fundi habet, omnes fructus naturales, industrielles, ciuiles, proprii, improprii, ex re vel propter rem percepti, omnisque commoditas sive utilitas ipsius rei redit. L. 7. pr. §. 4. et L. X. D. de vsufr. Quum ergo maritus sit vsufructarius partium metallicarum; consequens est, vt earum quoque prouentus, quippe qui fructibus accensentur, percipiat. VLPIANVS in L. 9. §. 2. D. de vsufr. sed si vsufructarius, inquit, lapidicinas habeat, et lepidem caedere velit, vel cretifodinas habeat et barenas: omnibus his vsurum Sabinus ait, quam sententiam puto veram. Ob L. 13. §. 5. b. r. Inde non immerito disquiritur, vtrum prouentus ex lapidicinis vel cretifodinis, vel hareni fodinis vsufructarius sibi attribuere queat, nec ne? Prius, quin adfirmem, eo minus haesito, quo

quo plura argumenta sunt, quae mihi quidem illud per suadent. Itaque et auri et argenti et sulphuris et aeris et ferri et ceterorum metallorum fodinas, quod ad prouentus attinet, sibi attribuere maritus potest.

## §. VI.

Sed dixerit quispiam, vsufructuarium rebus alienis salua rerum substantia vti fruique posse, et quia leges partium metallicarum, quas vxor habeat, vsufructum marito concedant, ad eundem prouentus partium metallicarum i.e. Ausbeute minime peruenire posse, sed vsuras tantum ex pretio inde capto. Si enim maritus vt vsufructarius eorum prouentus tamquam fructus considerare vellet; sequeretur, vt partes metallicae saluae et incolumes manere deberent. Sed saluae non manent, nam partes metallicae, si metalla effodiuntur, continuo abstrahuntur; substantia fit igitur metallum, et ex illo vsufructarius aut maritus vsuras accipere potest. Metallum igitur effossum, quia facta est substantia, et vxori vt possidenti salua manere debet, pertinet ad vxorem.

## §. VII.

Praeterea **VLPIANI** verba in L. 7. §. 13. D. solut. matrim. sententiae meae contrariari videntur, quum ibi marito vsusfructus lapidicinarum, marmorearum non renascentium, quae in fundo mulieris dotali inuentae erant, abiudicatur. Si vir, ait ille, in fundo mulieris dotali lapidicinas marmoreas, inuenierit, et fundum fructuostorem feceris marmor, quod caesum neque

exportatum est mariti et impensa non est ei praestanda: quia  
nec in fructu est marmor; nisi tale sit, ut lapis ibi renasca-  
tur, quales sunt in Gallia, sunt et in Asia.

### §. VIII.

Omnia autem ista, quae mihi obiici posse videan-  
tur, eo redeunt, ut metalla non renascentia intelli-  
gantur. Quod quidem minus firmum esse, et testimo-  
niis atque experimentis celeberrimorum, et in re metal-  
lica versatissimorum virorum repugnare, sequenti ora-  
tione probabo.

### §. IX.

Quodlibet metallum principia habet, quae ex sale,  
mercurio et sulphure consistunt. D. THOMAS fide  
dignissimus auctor, in commentario suo ad tertium librum  
Aristotelis de meteoris ita de subterraneorum principiis  
differit: Considerandum autem est, circa principia mate-  
rialia metallorum, quae sunt in duplice differentia: quaedam  
enim sunt materia remota, sicut est vapor inclusus in locis  
lapidosis terrae, alia autem sunt materia propinqua, et  
haec sunt sulphur ex mercurius; ex illis generantur diuersa  
metalla secundum diuersam eorum mixtionem. Vnde etiam  
ipsi Alchymistae per veram artem Alchymiae per praedicta  
principia, vel potius per principiata, veram generationem  
metallorum faciunt.

### §. X.

Partes salis, sulphuris et mercurii, quas terra  
magna copia tenet, ante aggregationem corpuscula  
sunt

B

sunt valde exigua, impenetrabilia, et non physice sed mathematice dimetienda seu distinguenda. BECCHERI princip. mixtio[n]i. subter. pass. 1. Seſſ. 1. p. 67. Per aërem et motum subterraneum haecce corpuscula inuisibilia vniuntur, et corpus formare incipiunt, quod iam metallum nominatur. Si semel corpus adest, tunc particulae talis, sulphuris et mercurii, quae per aërem motumque subterraneum ad illum locum deferantur, adhaerent, et metallum sensim ac sine sensu aecrescit. In eo fere omnes artis metallicae periti contentiunt.  
 10. FRID. HENCKEL in seiner kleinen miuerogischen und Chymischen Schrift, p. 154. §. 295. ita scribit: Ich halte davor, daß das mercurialische oder das ihm beygesetzte arsenalische Wesen, als ein Eygen da liege, welches ein schweiſchliches Wesen als der Saamenhaueb beschwängert. Porro. p. 155. §. 296. Die Erzie werden, was ihre Mischung betrifft, durch eine innerliche Bewegung gezeuget, welche man mit Recht eine gebrende nennen kann, nach ihrer Menge und Haufwerk aber entſtehen ſie vermittelst eines Anwachſes und Zusammenhäuſung. FALLOPIVS de metallis atque ſeff. affirmat, sulphuris mineram, quae nutritrix est caloris subterranei, fabri et archaei fontium et mineralium infra terram citissime renasci. AGRICOLA, ad Sagam, oppidum Germaniae, ſcribit, in pratis eriſi ferrum, fossis ad altitudinem duorum pedum actis, addens, decennio renatum, denuo fodи non aliter ac illuae ferrum. ALBERTVS MAGNVS. L. V. de metall. refert, suo tempore in Sclauonia contigisse, ut, cum metallarii incidiffent in metallum minus perfectum, obruiſ-

obtruiscent fodinas, ut maior maturatio fieret. STRA-  
BO multis argumentis affirmat, effossum alicubi me-  
tallum semper renasci. MATHESEVS si metallum, inquit,  
ad perfectionem suam peruerenterint, casu aliquo superueniente,  
consumuntur, iterum et quasi comburuntur, unde metallarii  
dicunt, se sero nimis venisse. CAESALPINVS de me-  
tallis, terra, inquit, quae eriuntur, dum vena effoditur,  
tota, procedente tempore, in venam conuertitur. Et PLI-  
NIVS L. XXXVI. c. XV. et XVIII. refert, in Italiae  
Insula Ilua gigni ferri metallum.

## §. XI.

Quum igitur ex his adductis testimoniis et argu-  
mentis, omnia metalla a natura gigni, pateat; supra  
alleg. L. 7. §. 13. D. solut. matr. verba me haud feriunt;  
immo leges ciuiles et consuetudines Saxonicas marito  
prouentus partium metallicarum vxoris attribuere,  
probari potest. Quis est, qui nesciat, in L. 7. §. 14.  
D. solut. matr. creti fodinas, argenti fodinas, vel au-  
rum, vel cuiusvis alterius materiam vel harenam in fru-  
tu haberi? Qua cum lege contuenit L. 9. §. 2. et 3. D.  
de usfr. PETRVS de BARBOSA in comment. ad Tit.  
D. solut. matr. L. 7. §. si vir. num. 4. vers. praeterea tum  
textus, explicans textum legis dictae, lapidicinas et  
venas metallorum iam apertas tempore matrimonii  
vsumfructus indistincte pertinere ad vsumfructuarium  
statuit, et eleganter defendit. Quem i o. del CASTIL-  
LO. c. XXXVII. n. 9. in Tract. de usfr. secutus est, di-

B 2

cens:

cens: secundus casus sit, quando, posito, quod lapidicinae, salinae, cretae, minerae, arenae, metalla auri, argentiae fodinae antiquae sunt, ut quod in ipsis percipitur, renascatur: tunc enim communi omnium consensu earum usus et ususfructus ususfructuarii commodo cedere debet, ex L. fin. D. de fundo dot. Illis adiicere licet MATTH. COLERVM in Decis. P. II. dec. XCVII. Iure ciuili ususfructuarius habet ius argenti fodinas fodendi. MATH. BERLICHIVM in concluſſ. XXXV. n. 4. Sed quid iuris, si fodinae sint tales, in quibus aurum, argentum, stannum, marmora, et similes fructus metallici renascuntur? Iure ciuili res omni dubio caret, eiusmodi metalla esse in fructu. Et LVD. SCHRADERVM de feudis II. Part. IX. Part. princ. Scſt. III. n. 49. Lapidicinae etiam, crerifodinae, argentifodinae et in fructu reputantur; et ad eum, ad quem ususfructus fundi spectant, pertinent. HAHNIVS ad WESEMB. Lib. VI. Tit de usfr. et quemad. n. V. Ille cum ICtis supra adductis eidem sententiae fauet, suosque antecessores ordinis ad Mattheum Bornemann Goslariae ao. 1607. d. 29. April. his verbis pronunciasse affirmat: Was nun auf eure von mehrgemeltes Hansen Manschen Tochter erzeugte zwey Kinder also erblich gekommen, es seyn Bergtheile oder sonst liegende oder andere Güter, davon gebüret euch der ususfructus und volle Abnuzung. Vide porro VLRIC. ZASIVM Lib. 2. sing. rerum intellect. c. 4. n. 6. vers. fallit tertio. si talis lapis; aliosque ICtos.

§. XII.

## §. XII.

IN CORPORE CONST. SAXON. NOV. pag. 231.  
haec verba quidem leguntur: Wann aber bey Leben  
des Weibes, so dem Manne ezliche Bergtheile und Kukus  
zubracht, der Mann in stehender Ehe Ausbeute genom-  
men, so sollen dieselben nicht vor fructus renascentes und  
wachsende Früchte gleich, welche von unbeweglichen Gü-  
tern jährlich zu fallen pflegen, geachtet werden. Ex eo  
pater, prouentus metallicarum partium non pro fructi-  
bus renascentibus, sed pro bonis mobilibus, quae vxori  
saluo matrimonio tribuuntur, haberi debere. In ter-  
ris autem Saxonis et earum Scabinatibus consuetu-  
dinis est, vt marito prouentus partium metallicarum,  
vulgo die Ausbeute, quas vxor ad dotern attulit, ad-  
iudicent. Quod non solum iam laudatus MATH.  
COLER. P. I. dec. CCLXXXV. n. 155. his verbis: fru-  
ctus etiam ex fodinis percepti h. e. aurum, argentum, me-  
tallum, barena, et similia in vita vxoris ex ipsius solo  
eruta, virtute iuris nostri Saxonici ad maritum perti-  
nent; verum etiam CARPZOVIVS in iurisprud.  
forens. Rom. Sax. P. III. c. XXV. def. II. (ita Dni in  
eadem causa, verba sentent.) Jedoch werden von sol-  
chen Bergtheilen, auch als den überlebenden Ehemann  
die Ausbeute, so bey Leben eures Weibes davon gefal-  
len, billig gefolget V. R. W. et LVD. GVNTH. MAR-  
TINVS in Analec. forens. ad comment. for. in §. 1. Tit.  
XLIII. ord. iud. Elec. Sax. de credit. qui cum iure real.

n. 81. in summar. fructus fodinarum perceptos et separatos ad maritum spectare, et ad num. 107. Bergwerks Ausbeute, licet realiter a marito non fuerint apprehensi, wenn sie aus der Gewerkschaft noch nicht abgehobles, ad maritum pertinere testatur.

### §. XIII.

Ex his omnibus facile perspicere licet, prouentus metallicarum partium, et minime illarum usuras marito, vtdotis vxoris usufructuario, recte tribui. Ceterum dominii quoque partium metallicarum naturalis, quod mulieri durante matrimonio esse debet saluum, et in rei incorporalis iure consistit, mentionem facere, et per hocce principium thesin meam firmorem reddere possem. Quoniam vero angustum temporis spatium fusius rem tractare non permittit; filium abrumpo, et ad VOS, quorum gratia hoc scripsi, redeo.


Consilium, AMICI, nobis quidem graue cepisti, nobis inquam, qui consuetudine VESTRA & otio eruditio frui, quam suave sit, experimento didicimus longo. Magnum sane VESTRI desiderium nobis relinquitis abeuntes. Evidem, quum res ita sit, nec reuocari possit ratio iam inita; meum esse et video et gaudeo, VOBIS, Amici e paucis mihi cari, omnium, quibus-

buscum litteras elegantiores linguamque Romanam  
coniunctim coluistis, nomine abitum ex academia Ie-  
nensi, honore atque laude dignissimum, gratulari. Si  
vmquam mihi gratum acceptumque fuit, **VOBIS** amo-  
ris officia praestare; nunc mihi longe est iucundissi-  
mum, quoniam occasio mihi datur exoptatissima, **VO-**  
**BIS** ea publice praefandi. Gratulor **VOBIS** disces-  
sum in exteris regiones, in quas eruditione haud exi-  
guia, scientiis ac artibus liberalibus et suauissimis mo-  
ribus locupletati disceditis. Quis nostrum quaeso du-  
bitet, si eruditio bonis cum moribus coniuncta felicita-  
tis spem continet cerrissimam, fore, vt rerum prosper-  
rimarum copia circumfluatis. Faxit deus ter optimus maximus, vt longinqua tempora vos saluos et  
incolumes videant, viribus et animi et corporis auctos,  
vt et conceptam de **VOBIS** propinquorum fiduciam,  
et patriae spem quam felicissime adimpleatis, immo et-  
iam supereris, et praemia eruditionis condigna nan-  
ciscamini! Quod reliquum est, vt societatem nostram  
in posterum quoque **VESTRO** fauore complectami-  
ni, meque locum aliquem inter amicos  
**VESTROS** obtinere patiamini,  
quam maxime rogo.





- IO. ADOLPH. FALCKE, Ienensis, LL. C.  
IO. ADOLPH. HELLBACH, Ienensis, epistolae huius auctio  
IO. GEORG. HAMBERGER, Ienensis, LL. C.  
IO. FRIDERICVS FALCKE, Ienensis, LL. SS. C.  
HIERON. ERNESTVS HINTZ, Hamburgens. LL. SS. C.  
IO. GOTTF. HAHN, Hannoueranus, LL. C.  
IO. SAM. KRAVS, Roemhild. LL. SS. C.  
CHRIST. HENR. PAVLSEN, Ienensis, LL. C.  
IO. HENR. HEVSE, Hamburgensis, LL. C.  
CHRISTOPH. LVDOV. WIDEBVRC, Ienensis, LL. C.  
GOTTFR. WILH. HEVBLER, Geranus, LL. SS. C.



51





Jena, Diss, 1754  
X 230 9450



**Farbkarte #13**

B.I.G.



DE DISCESSV  
EX ILLVSTRI QVAE IENAM ORNAT  
MVSARVM SEDE  
VIRORVM NOBILISSIMORVM  
NEC NON  
DOCTISSIMORVM

CHRISTIANI ZIMMERMANN  
BREMANI DIVINIORIS SAPIENTIAE CVLTORIS STRENNI

OANNIS GOTTLIB VISBECK  
HANNOVERANI LEGVM SACRARVM SCIENTIA CVLTISSIMI

O ANNIS FRIDERICI  
SARNIGHAVSEN

LVNEBURGENSIS IVRIVM CVLTORIS ORNATISSIMI  
NOMINE SOCIETATIS  
QVAE DVCTV AVSPICIOQVE  
VIRI CLARISSIMI

O. CHRISTIANI BLASCHE

MAG. SOCIETAT. TEVTON. ET LATIN. IENENS. COLLEGAE  
BONAS ARTES COLIT  
EX ANIMO ILLIS GRATVLATVR  
SIMVLQVE

DE VSVFRVCTV LEGALI  
X Vxoris METALLI FODINIS  
AD MARITVM PERTINENTE  
BREVITER DISSERIT

O ANN. ADOLPHVS HELLBACH

IENENSIS  
RACT. ET SOCIET. TEVTON. QVAE IENAE FLORET COLLEGA.

IENAE  
LITTERIS FICKELSCHERRIANIS. CLOCCLIIIL.